

**Quaedam de gastromalacia : observationes : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Theophilus Piwko.**

**Contributors**

Piwko, Teofil, 1818-  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Fratrum Schlesinger, 1842.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/e4cypead>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

**QUAEDAM**  
**DE**  
**GASTROMALACIA**  
**OBSERVATIONES.**

---

**DISSERTATIO**

**INAUGURALIS MEDICA**

**QUAM**

**CONSENSU ET AUCTORITATE**

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

**IN**

**UNIVERSITATE LITERARIA**

**FRIDERICA GUILIELMA**

**UT SUMMI**

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

**RITE SIBI CONCEDANTUR**

**DIE VII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXLII.**

**H. L. Q. S.**

**PUBLICICE DEFENDET**

**AUCTOR**

**THEOPHILUS PIWKO**

**MARIAE-INSULANUS.**

---

**OPPONENTIBUS:**

**A. GENZMER, med. et chir. Dr.**

**C. HOPPE, med. et chir. Dr.**

**J. GEPPERT, stud. jur.**

---

**BEROLINI,**  
**TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.**

# ALPHABETICAL

INDEX

OF THE

LIBRARY

OF

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY, CALIFORNIA

1900

PRINTED BY THE UNIVERSITY PRESS

OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY, CALIFORNIA

1900

LIBRARY

OF

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY, CALIFORNIA

1900

PRINTED BY THE UNIVERSITY PRESS

OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY, CALIFORNIA

1900

LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERKELEY, CALIFORNIA

**G**astromalacia, etsi a multis jam descripta et exquisita, tamen nomine aenigmatis in medicina dignissima est. Anatomia quidem pathologica recentioribus temporibus novum lumen pathologiae allatura esse videbatur, sed nihilominus de natura morbi, quem sumus tractaturi, tam variae prostant sententiae et dubiae, ut, cujus autoris vestigia sequamur, prorsus nesciamus. Itaque quum Halae Saxonum in praxi clinica haud parvam infantum hoc morbo correptorum copiam observandi occasio mihi data esset, nonnullorum aegrotorum historias in publico proponere, quam novis opinionibus priorum catervam exaggerare satius duxi.

### OBSERVATIO PRIMA.

Gastromalacia — diphtheritis — intermissio — reditus — mors —  
necropsia.

F. L. infans debilis, tres menses natus, ex prima aetate pro lacte materno pulte aliisque cibis stomacho

insuperabilibus nutritus, subito mense Junio alvi proflu-  
vexatur; sedes liquidae, aquosae, octo, decem per dies  
vomitibus vehementissimus, ita ut omnes et cibi et potus  
statim ejiciantur; evomita odore acido, sitis inexplebilis  
inquietas, anxietas, vagitus, pedes tracti ad abdomen, quum  
pressu non majore dolore cruciatum videbatur, cutis sicca  
sine turgore vitali, extremitates frigidae, facies collapsa  
pallida, pulsus acceleratus, debilis. Praeterea lingua  
genae, palatum, fauces, quatenus inspicere poterant,  
phtheritide occupatae erant. Frictiones, lotiones irritantes  
interne tinct. rhei aquos. cum liq. kal. carbon. in aq. infus.  
nic. cum syrup. rhei ordinantur; diaeta parca, lac coctum  
aq. foenicul. mixtum. Qua cura adhibita jam tribus in-  
jectis diebus diarrhoeae vomitusque cesserunt, ita ut  
sedes duae tantum per diem fere normales, pulti similes  
deponerentur. Turgor vitalis rediit, sudores, pulsus  
regularis, somnus quietissimus. Paucis diebus praeterlapsis  
nulla morbi symptomata se praebuerunt, ipsa infantis  
facies sano fuit colore. Sed jam sexto die post hanc morbi  
intermissionem, omnia priora symptomata vehementer  
redierunt, diarrhoeae vomitusque creberrimi. Parentes  
periculum haud suspicantes, quum medici auxilium  
peterent, mox maxima cum celeritate omnia morbi sym-  
ptomata creverunt. Ad vesperam diarrhoeae vomitusque

innumerabiles, anxietas ingens, vagitus continuus, extremitates frigidae, collapsus, convulsiones, mors.

Sectio cadaveris horis IV post mortem instituta. Corpus macerrimum, collapsum. Cerebrum, cor, pulmones, hepar, lien, pancreas, renes nihil a consueto alieni obtulerunt. Ventriculus jam extrinsecus pellucidus videbatur; conamine cautissimo eum extollendi ruptura exstitit, qua contenta in cavum abdominis fluxere.

Oesophagus usque ad cardiam neque destructionem neque ullum diphtheritidis prioris signum praebebat. Ventriculus ipse fere omnibus in partibus emollitus, praecipue autem in fundo ventriculi omnes membranae gelatinosae quasi pressu minimo ruptae sunt. Etsi omnes pellucidae, tamen tunicae muscularis structura perspicue distingui potuit, ejus enim fibrae singulae maceratae quasi in massa cohaeserunt gelatinosa, quae permultis punctis striisque nigris impleta erat. Quo propinquiore pyloro, eo solidiores tunicae. Sed per totum tractum intestinalem usque ad rectum tunica mucosa mollior, facillime scalpelli manubrio amoveri potuit, ceterae intestinorum tunicae varidae. Ventriculi contenta ejusque tunicae gelatinosae chartam exploratoriam caeruleam rubram reddiderunt; analysis chemica instituta magna acidi lactis copia, natron phosphoricum et natron muriaticum inveniebatur.

## OBSERVATIO SECUNDA.

Angina membranacea — emeticum — gastromalacia — mors —  
necropsia.

P. H., infans unius anni, sanus ac robustus, maximum cum diligentia nullis aliis cibis nisi lacte materno nutritus, semper hucusque valetudine optima vicens, nonnullis ex diebus mense Februario priorem hilaritatem amiseraat. Qua de causa parentes, quum interdum vomitus atque sedes liquidiores consecutae essent, a medico auxilium petierunt. Color faciei infantis sanus, nulla gravioris morbi signa; sedes mucosae flavas tres dejecit, totidem vomitus abdomen neque inflatum neque sensibile neque fervidum cutis temperies normalis, urina larga, pectoris organa haud affecta, febris nulla, cerebrum integrum. Quae quum ita essent, magis ut parentum timor levaretur quam necessitatis causa, tinct. rhei aquos. ordinata est.

Postero jam die vomitus cesserat, magno cum appetitu infans lac maternum recepit, somno tranquillissimo fruebatur, sedes autem duae mucosae foetidissimaeque deponabantur. Tertio die una tantum evacuatio liquida consecuta est, alia morbi symptomata nulla. Quarto die evacuatio faeculenta una, ceterum valetudo bona. Die sexto parentes infantem subito irrausisse atque tussi rauca

conquassatum esse sunt questi; ceterum nec diarrhoea nec vomitus, nec febris; neque signa physicalia morbi cujusquam impetum indicavere. Insequenti autem nocte illa faucitas atque tussis trachealis revertebatur et infans anxius, capite porrecto, respiratione gravi stertorosaque voce quiritat rauca; pulsus acceleratus, cutis sicca, ardens. Signa quum pathognomonica anginae membranaceae adessent, duae hirudines ad laryngem statim sunt applicatae, interne tart. stib. gr.  $\text{jjj}$  soluta in aq. dest.  $\text{zjjj}$ . Nonnullis medicinae cochlearibus minoribus exhaustis vomituque se- kies exorto, mammam maternam infans recepit, et quiete obdormivit. Cutis sudoribus oblecta, respiratio pura. Deinde medicamen refracta dosi dabatur. In universum igitur puerulus granum unum tart. stib. consumpserat. Tussis non rediit, somnus quietus per plures horas. Sub tempus autem matutinum diarrhoeae aquosae exstiterunt creberrimae, vomituritiones, vomitus. Simulac infans siti vehementissima cruciatus potum avide exhausit, diarrhoeae et vomitus statim redierunt; anxietas maxima. Vomitus quidem sedabantur, sedes autem deponebantur innumerae. Lac infans magna cum aviditate bibit, sed maternam mammam recipere negavit. Permagna virium prostratio, inquietudo, collapsus faciei, oculi retro residunt, caeruleis marginibus circumdati, bulbus ad partem superiorem ver-

gens; pulsus parvus, acceleratus; cutis frigida, urina copiosa; convulsiones non aderant. Quae quum ita essent, dubium non videbatur, quin ultimum gastromalaciae stadium adesset. Quam celerrime igitur clysmata ex amylo parata, frictiones, balnea irritantia administrata sunt; sed minime rerum statum mutavere; cutis sicca, vultus, anxietas, pulsus, diarrhoeae eadem manebant. Clysmata etiam amylo parata cum opio, interne opium cum liq. c. c. succo in aq. menth. piperit. cum syrup. cinnam. Sed frustra omnia. Collapsus fit major, tum magno per horam agone exorto mors supervenit.

Cadaver robustum, adiposum horis XVIII post obitum dissecabatur. Cranium aperire non licuit. In pericardio nullum serum reperiiebatur, cor contractum, in ventriculo dextro atque atrio paucillum tantum sanguinis liquidi sine coagulis, ventriculus et atrium sinistrum nullum sanguinem continens, foramen ovale jam clausum. Thymus magnus, pulmones integri, in larynge atque trachea vasa sanguine impleta, tunica intima muco tenace ex albo flavo-tescente oblecta. Hepar pallidum; lien sanguine carens, incisione facta granulosis apparuit; omnia abdominis organa vasis sanguinis inanibus; pancreas, renes sani, vesica urinaria contracta, nullam continens urinam. Glandulae mesenteriales tumidae, praecipue nonnullae glandulae

dae coeco et ileo adjacentes magnitudinem fabarum asse-  
 cutae erant. Mesenterium colore pallido. Per totum tra-  
 ctum intestinale glandulae tumidae pelluxerunt. Venti-  
 culi fundus emollitus fuit, massae gelatinosae, pellucidae  
 similis. Etsi omnes tunicae emollitae erant, tamen ru-  
 ptura nondum adfuit. Quod quidem nusquam in partibus  
 malacia destructis illae nigrae maculae et striae invenie-  
 rantur, ex sanguinis inopia in omnibus cadaveris partibus  
 causa ducenda videbatur. Ventriculi pars sinistra linea  
 quasi divisa erat a parte dextra, ubi neque tunica mucosa  
 neque aliae membranae morbo erant correptae. In tractus  
 intestinalis parte superiore glandulae non valde tumefa-  
 ctae, sed in inferiore ilei parte permultae glandulae et  
 solitariae et Peyerianae tanta erant magnitudine, quantam  
 nec in cholera nec calomelanos dosibus permagnis adhibi-  
 tis adipisci solent. In intestino crasso quoque glandulae  
 solitariae justo majores. Membranae intestinorum mala-  
 cia non destructae.

### OBSERVATIO III.

Crudititas — vomitus — diarrhoeae — hydrocephalus acutus —  
 mors — sectio — malacia ventriculi.

B. T., puella VIII annos nata ex parentibus validis-  
 simis, qui ex tredecim liberis septem jam aut tuberculosi

aut hydrocephalo acuto mortuos lugebant, hucusque semper valetudine optima gavisae, ante quinque hebdomadas morbillos sine ulla alia molestia sustinuerat, nisi cum diarrhoea vehementissima, qualis tum usu venit in epidemia. Tametsi autem omnia symptomata morbi evanuerant, tametsi infans neque dolorem quemquam quæstus esset neque diarrhoea nec alvi obstructio remanserat, sed quotidie sedes normales deponebantur, tametsi appetitus ciborum optimus: tamen infans ex hoc tempore nec vires priores nec priorem hilaritatem recuperaverat; præcipue vero lassitudo quaedam memorabilis videbatur, qua occurrat puella longe ante horam solitam se somno dabat. Die VII mensis Novembris, quum infans maximo cum appetitu in coena assum anserinum edisset, ad vesperae appetitum amisit, de capitis et alvi doloribus conquesta est, et nocte insequenti vomitu ter quaterve repetito cibum potumque et mucum bile mixtum eiecit; diarrhoeae quoque liquidæ aquosæ totidem sunt consecutæ. Quæ excretiones per tres dies subsequentes eodem modo repetitæ sunt, quo tempore alvi dolores perquam sunt aucti, dum caput neque dolens, ac ne occupatum quidem videbatur. Die XI mensis Nov. a schola clinica auxilium peti tum est. Puella plane sui compos erat, hilariter cum sororibus ludens, interrogata dolorem capitis quæstus esse

minorem, majorem abdominis, praecipue in regione epigastrica; lingua humida oblecta erat obtegumento e flavo bescente, halitus paullum foetidus, appetitus deficiens, ris aucta, sed potum exhaustum vomitus plerumque secutus est, interdum vomiturationes tantum. Evomita odore semper acido, multo muco tenace mixta erant. Abdomenque fervidum neque expansum, sed pressu dolores ejus sunt aucti. Sedes semper quotidie IV, V mucosae; urina terca, pulsus febrilis, plenus nonaginta aut centum ictus ciebat per minutam; cutis arida. Parvae pulveris aëro-  
 niori doses, potus antispasmodicus, sinapismus regioni  
 gastricae impositus nullum eventum laetum effecere.  
 diebus posteris cum pulvere aerophoro opium est conjun-  
 tum, tum mixtura ex aq. cinnam., tinct. op., liq. c. c.  
 ccc. est porrecta, externe balnea. Sed frustra; vomitus  
 febrrior, abdominis dolores majores. Cetera morbi sym-  
 ptomata per hebdomadem minime sunt mutata; ex secundo  
 item curationis die caput nec dolens erat nec fervidum;  
 universum infantis vultus plane sano erat aequalis.  
 terdiu cum parentibus puella hilariter locuta est, potum  
 et medicamen poposcit, ad sedes deponendas cubitum  
 liquit, etsi ob pedum debilitatem adjuta; noctu autem  
 omnis ereptus, interdum deliria mussitantia. Pulsus  
 iorem et quantitatem et qualitatem habebat, ad vespe-

ram plures quam centum ictus faciebat; cutis arida ferre-  
dissima, macies totius corporis major, lingua semper  
oblita. Ex die XII morbi tam foetidus erat halitus, quod  
lis apud cancrum aquaticum inveniri solet. Massae evomi-  
tae foetidum interdum, plerumque acidum odorem libe-  
bebant; nonnumquam concrementa ex lacte coagulata evomi-  
mebantur. Sitis modica. Abdomen sensim sensimque  
tantopere collapsum est, ut columna vertebralis sentire  
posset. Abdominis dolor idem fuit, praeterea autem totum  
corpus pressu dolens fiebat, atque interdum doloribus  
crurum trahentibus puella erat affecta. Sedes pedetentim  
ter, bis, denique semel per diem consecutae erant; in  
extremo autem per plures dies alvi obstructio exstitit, quae  
clysmata plura instituebantur; urina regularis. Quum  
medicamina hucusque nullam mutationem attulissent, Kren-  
kenbergio autore, cruditates suspicante, emeticum  
tart. stib. grano dimidio et pulveris rad. ipecac. scrupulo  
dimidio paratum est porrectum. Dimidia dosi exhausta  
jam post horae unius quadrantem vomitus vehementissimus  
quinquies est exortus. Nocte insequenti somnus  
quidem quietissimus, sed quatuordecim horis interjecto  
vomitibus rediit. Acidum muriaticum conc. cum tinct. opii  
effecit nihil. Quum autem die morbi XVI mixtura  
oleo ricini cum creosoti guttis duabus adhibita esset, v-

tus subito sedabantur atque mox tres copiosae et fae-  
 lentae sedes secutae sunt, quo facto odor quoque ille  
 fetidus ex ore diminutus est. Sed ex die XIV jam so-  
 r magis magisque crescens exstiterat, qui ex die XVI  
 n profundus fiebat, ut puella summo tantum opere ex-  
 ari posset. Interdum quidem, praecipue noctu status  
 e soporosus clamoribus vagituque interruptus est. Ab-  
 ne interne nullum medicamen nisi aq. Selters., externe  
 sicatorium in cervicem imponendum ordinabatur. Pul-  
 nes tum morbo affecti videbantur, tussis enim crebra,  
 ca, sine ulla expectoratione exstiterat. Per stethosco-  
 m in utroque pulmone rhonchus sibilans audiebatur,  
 toris percussio sonum dabat bonum. Diebus ultimis  
 ans collapsa sine ullo motu jacuit, pressu tantum ma-  
 no ad abdomen facto clamoribus vitae signum dedit;  
 na et sedes involuntariae, pulsus minimus, inaequalis,  
 quentissimus; cutis arida fervidaque; pupilla dilatata,  
 nea sicut pulvere conspersa, muco tenace oblecta, con-  
 activae vasa sanguine impleta, ne multa, omnia hydro-  
 phali symptomata perspicue comparuerunt. Quum die  
 K morbi paralysis lateris dextri et vesicae urinariae  
 orta esset, die postero mors incessit.

Sectio horis XVI post decessum instituta. Cadaver  
 cerrimum, abdomen modice inflatum. Calvaria aperta in

durae matris sinibus sanguinis coagula, dura mater ipsa  
 ad basin cerebri in regione pontis exsudationibus nonnullis  
 plasticis turbida reperiiebatur. Cerebri gyri deplanati, vasa  
 modice sanguine impleta, cerebri consistentia non aliena  
 ventriculi laterales seri puri circiter uncias IV continebant  
 quo in liquore duo vel tres majores flocci cerebri substantiae  
 emollitae natabant; fornix, corpus callosum nec non  
 partes ventriculorum quartum circumdantes emollitae erant.  
 Trachea vasis sanguine injectis, mucosae et cano flavescere  
 impleta. Utriusque pulmonis, praecipue autem dextri pars  
 inferior cum pleuris costarum coaluerat. In pleuris utriusque  
 lateris innumerae granulationes tuberculosae,  
 pulmonis dextri parte inferiore numerosa flava cruda tubercula  
 inveniebantur. Glandulae bronchiales tuberculis crassiusculis  
 flavescens ad magnitudinem ovi columbini intumuerant.  
 Cor vasaque magna sana. Sub hepatis obtegumento  
 seroso et in superficie substantiae ejus singulae granulationes  
 tuberculosae, eadem in tunica serosa et substantia  
 lienis conspiciebantur. In ventriculi fundo ruptura erat  
 sed ne vestigium quidem contentorum ventriculi in abdomine  
 inventum est. Omnes ventriculi tunicae hoc in loco  
 in massam gelatinosam sic erant mutatae, ut pressu minimi  
 quasi liquescerent; praeterea tunica mucosa in aliquibus  
 quoque ventriculi partibus non emollitis aut deficiebat, et

angulas modo strias et insulas quasi formabat. Hic illic  
 massa gelatinosa maculae striaeque nigrae animadverten-  
 tur. Malacia neque ad oesophagum neque ad duode-  
 num pertinebat. In parte vero intestinorum tenuiorum  
 superiore nonnulla parva crateris formam praebentia ulcera  
 profunda erant; praeterea prope valvulam Bauhini glandulae  
 Wertherianae exulceratae. Renes sanguine abundantes, ve-  
 tra urinaria expansa.

#### OBSERVATIO IV.

Diarrhoeae — vomitus — hydrocephalus acutus — mors —  
 sectio — gastro-oesophago-pleuromalaxis.

C. W., puerulus tres annos natus, habitu scrophu-  
 loso, jam ex mensibus sex aegrotans, diarrhoeis interdum  
 habitu constipatis laboraverat. Domesticis medicamentis  
 inhibitis quum puer magis magisque collaberetur, mense  
 octavo a schola clinica auxilium petatum est. Prognosi qui-  
 bus dubia doses parvae ammonii muriatici cum gumm.  
 rosos. mixti porrigebantur. Quo medicamine admirabili-  
 ter paucis tantummodo diebus interjectis et diarrhoeae et  
 constipatio evanuerunt. Sed mox omnia hydrocephali acuti  
 symptomata perspicue exstiterunt. Sopor profundus, facies  
 lapsa, caput reclinatum, fervidum, pupilla dilatata, ad-  
 versus lucis stimulus torpida, abdomen collapsum, haud

dolens, urina parca, alvi obstructio, sitis non aucta, cutis sine turgore vitali, pulsus irregularis, debilis. Etsi hirundines ad caput, fomentationes frigidae, perfusiones, intercalomelanos parvae doses sunt impensae, tamen sine ullo eventu secundo; symptomata enim eadem manebant per dies subsequentes. Tum sopor major, convulsiones, Paralysis, mors die XIV, ex quo puerulus venerat in medicurationem.

Sectio horis XV post mortem facta. Cadaver multo valde macrum. Calvaria remota cerebrum expansum marginibus ossium excedebat; dura mater arcte cerebro adhaerens, gyri deplanati, in haemisphaerii dextri substantia corticali plura tubercula, quorum maximum nucis avellanae magnitudinem adaequavit. Ventriculi laterales perquam amplificati, uncias V aquae turbidae continentes, foramen Monroii quoque amplificatum. In cerebello tuberculum insitum erat magnitudine fere nucis juglandis. Cor, vasa majora regularia, foramen ovale clausum. Pleurae dextrae cavitatem uncias circiter duas liquoris sanguinei continuit, pleura costarum sanae; glandulae bronchiales tuberculosae in media parte jam emollitae, pulmones tuberculis miliaribus dictis impleti. In pulmonis sinistri parte posteriore pleura malacia destructa erat, ita ut pulmo in illis partibus superficiem granulosam pullamque ostenderet. Aër igitur

monem per bronchos immissus, ex ostiis innumerabilibus  
 upit atque illas tantum pulmonis partes inflavit, quae  
 ura sana adhuc erant obtectae. Pari modo pleura co-  
 rum emollita erat deletaque; musculi intercostales, nervi,  
 sa praeparata quasi jacuerunt. Oesophagi superior qui-  
 n pars salva, partis inferioris autem paries anterior ma-  
 ia destructus, ita ut foramine oesophagus cum sinistrae  
 urae cavitate communicaret; ciborum vestigia hic non-  
 a adfuerunt. Ventriculi fundus gelatinosus, tunicae  
 scularis fibrae quasi maceratae; pars ventriculi pylorica  
 d alienata. Intestinorum tenuiorum tunica mucosa sana,  
 ndulae, tametsi ex septem fere diebus calomelanos do-  
 haud parvae erant adhibitae, non valde intumuerunt.  
 ndulae mesenteriales omnes tuberculosae, hypertrophi-  
 ad magnitudinem fabarum. Splen, hepar tuberculosum;  
 creas, peritonaeum sanum. In rene sinistro multi parvi  
 des fuerunt, ren dexter non alienatus; vesica urinaria

#### OBSERVATIO V.

rhoeae — collapsus — mors — sectio — enteromalaxis.

L. H. erat infans haud debilis, hebdomades octo natus  
 matre phthisica, quae magna in partu sanguinis amis-  
 e ita est debilitata, ut jam post paucas hebdomades  
 item a materna mamma removeri necesse esset. Lacte

igitur cum aq. foenic. mixta nutritus est puerulus, cui initio quidem hoc nutrimentum salubre esse videbatur. quinto jam die post ablactationem diarrhoea exstitit; refrigeratio quoque aestate fervida (mense Julio) morbo fassetasse favit. Sedes quatuor vel quinque faeculentae et liquidiores quam solitae deponebantur; urina parca, cum temperies diminuta, facies morbosa. Die secundo mox sedes VI liquidae, tenesmo interdum conjunctae, urina parca, cutis frigida, turgore vitali carens, somnus quietus. Ordinabatur balneum irritans, frictiones; interne acid. muriat. cum tinct. op. in dec. salep. cum syrup. diacod. Tempore vespertino cutis temperies aucta neque talis collapsus, qualis superioribus diebus; pulsus parvus inter CXXVIII per minutam faciebat; sudores; diarrhoeae autem crebriores, liquidiores, quare clysmata ex amylo pauca cum tinct. opii sunt administrata. Noctu nihilominus sedes consecutae, sed magis faeculentae. Die III balneo adhibito turgor vitalis cutis revertebatur, quo facto inter vires majores recipere videbatur; urina largior, sedes liquidae sine tenesmo, pulsus major. Tempore pomeridiano quum clyσμα cum opio statim sine ullo effectū ejiceretur atque diarrhoeae etiam crebriores fierent, celerrime inter vires corruerunt. Die IV anxio vagitu puerulus evigilabat abdomen extensum, fervidum, pressu valde dolens, pul-

nervus, frequentissimus. Nonnumquam ructus vomituritio-  
 esque comparuerunt, nullus quidem vomitus ipse. Anxie-  
 s tum crevit, respiratio anxiosa, stertorosa, diarrhoeae cre-  
 rrimae, aquosae. Hirudine una abdomini applicata, cata-  
 smate imposito, abdomen nonnullis horis interjectis  
 illius fiebat, neque tam dolens videbatur quam antea;  
 et collapsus, inquietudo major, extremitates frigidissimae,  
 gitus miserabilis. Omnia autem haec prognosi signa  
 ssima ad vesperam sunt aucta; mox paralysis pharyngis  
 stitit, respiratio laboriosa; noctu mors ingruit. Sectio X  
 ris post obitum instituta. Cerebri vasa sanguine im-  
 ta, praeterea nihil in cerebro a norma abhorrens. Cor-  
 foramen ovale nondum clausum. In parte posteriore  
 iusque pulmonis ab lobulo inferiore ad medium sangui-  
 hypostasis inveniebatur, sed structura harum partium  
 mino non alienata. Glandulae bronchiales, trachea sana.  
 par, lien, renes, pancreas, vesica urinaria sine ullo  
 rbi signo. Intestini recti tunica mucosa nonnullis in  
 s defecit, reliqua tunicae pars malacia affecta, colore  
 pallido. Per totum intestinum crassum atque inferio-  
 intestinorum tenuiorum partem membrana mucosa  
 acia erat correpta, superior autem pars morbo non  
 et. In ventriculo tunica mucosa omnino emollita erat,

nec vero in fundo ventriculi, sed, quod memoratu dignissimum, in parte pylorica. Oesophagus integer.

### OBSERVATIO VI.

Gastromalaxis — collapsus — mors — sectio.

T. H., puella valida, robusta, menses VIII nata ex lacte et cibis usitatis hucusque nutrita, subito mense Junio diarrhoeis vomitibusque est vexata. Parentes, prioris infantis valetudine bona confidentes, tribus diebus interjectis demum, quum profusis excretionibus magis magisque vires debilitari viderentur, medici auxilium petierunt. Sedes quatuordecim, sedecim per diem aquosae, flavescentes odore acidissimo, sine tenesmo magna cum vehementia strepituque ejiciebantur; appetitus cibi deficiens, sitis valde aucta, ructus creberrimi, somnus anxietate interruptus, oculi conditi, collapsus faciei, pulsus acceleratus, cutis sicca sed non valde fervida. Interne statim sacehar. saturn. cum opio; tum kali chloric., denique acid. mur. concum opio sunt ordinata; praeterea clysmata ex amylo cum opio parata, balnea, lotiones irritantes. Sed frustra. Cumque turgor vitalis pedetentim evanuit. Cerebrum quum affectum videretur, hirudines duae ad caput sunt applicatae sed sine ullo successu. Convulsiones interdum exstiterunt, cetera symptomata eadem. Postremo vomitus cessa-

vit quidem, sed collapsus major, anxietas aucta, convulsiones crebriores, mors. Tussis quoque orta erat, respiratio vero fuerat normalis, nec auscultatio nec percussio pectoris pulmones morbo affectos esse ostenderat.

Sectio XV horis post decessum facta. Cadaver adiposum. Cerebrum inspicere non licuit. Utriusque pulmonis lobuli inferiores sanguine referti, caerulei, incisi non repitantes, structura quidem non alienata. In pleurae pulmonum superficie diaphragmati adjacente hic illic maculae singulae coloris lactei inveniebantur, fortasse signa malaciae incipientis. Cor, vasa magna sana. Tractus intestinalis pallidus. Ventriculus totus in massam gelatinosam mutatus; praecipue autem fundus destructus erat. Intestinorum membrana mucosa non valde resistens, glandulae Peyerianae tumidae. Glandulae mesenteriales pallidae magnitudinem regularem non excentes. Pancreas, hepar, renes sani, splen pallidus usque structura mollissima.

#### OBSERVATIO VII.

arrhoeae cum tenesmo — vomitus — diphtheritis — tussis — convulsiones — mors — sectio.

C. F. erat debilis infans, menses VI natus ex parentibus imbecillis, qui jam liberos duos hydrocephalo

acuto amiserant. Quum ex duobus mensibus cibis gravissimis nutritus esset, macie summa exorta, repente cum maximo tenesmo sedes liquidæ sanguinolentæ exstiterunt; abdomen extensum, fervidum. Interne igitur parvæ olei ricini doses præcipiebantur, quo mox tenesmus evanuit. Diarrhoeæ autem liquidæ per totum morbum nullo remedio sedari potuerunt. Nam ammoniac. cum magnes. carb. et gumm. mim., tum acid. muriat. cum opio, tum rheum cum magnes. ust. balnea irritantia, clysmata cum opio, omnia breves tantum remissiones efficere potuerunt. Diebus quatuor ante mortem cum diarrhoeis, quæ decem, quatuordecim deponerentur, vomitus sex, octo per diem sunt conjuncti; oris cavitas, lingua, palatum diphtheritide occupatum. Tum status soporosus incepit, infans interdum vagiens jacuit oculos semiapertos nonnunquam volvens; tempore denique vespertino convulsiones exstiterunt, respiratio anxie gravata, tussis vehemens, sine ulla expectoratione. Pectoris percussio sonum quidem dabat bonum, per stethoscopium autem rhonchi crepitantes, sibilantes audiebantur. Mox convulsiones crebriores fiebant, respiratio stertorosa, mors.

Sectio XIII horis post mortem instituta. Cadaver macerrimum, abdomen expansum. Fonticuli et quadran-

gularis et triangularis adhuc patebant; dura mater ossi-  
 bus calvariae adhaerens firmissime; vasa et arachnoideae  
 et piaae matris et cerebri ipsius sanguine completa, ce-  
 rebri substantia justo mollior, in ventriculis seri tantum,  
 quantum cochlear parvum capit, inveniebatur. Glandulae  
 thymi residua permagna; tracheae et bronchiorum tunica  
 mucosa sanguine injecta. Pulmones non ad pleuram ad-  
 haerentes; sed in lobulis inferioribus utriusque pulmonis  
 et in medio quoque pulmonis dextri hic illic hepatitis  
 rubra interlobularis se obtulit, in pulmonis sinistri me-  
 dia parte emphysema vesiculare. Glandulae bronchiales  
 ad fabae magnitudinem tumefactae, molles, sanguine  
 abundantes. Cor vasaque magna sana. Hepar, lien,  
 pancreas, renes integri; oesophagus non alienatus neque  
 tegumento plastico obtectus, quod cavitas oris adhuc  
 demonstrabat. Ventriculi fundus malacia sic affectus,  
 et cautissimo tactu rumperetur. Fundi omnes membra-  
 nae in massam gelatinosam erant mutatae; in parte py-  
 lorica membrana mucosa facillime cultro amoveri potuit.  
 In gelatina illa striae paucae tantum parvaeque nigrae  
 reprehendebantur. Tractus intestinalis pallidissimus. In-  
 testinorum tenuiorum tunica mucosa sanguine hic illic  
 injecta, ubique mollis facillime quoque cultro amoveri  
 potuit. Glandulae hujus partis non valde tumidae. Ab

valvula Bauhini usque ad intestinum rectum sanguinis injectio pedetentim crevit. Tunica mucosa hic interdum deficiebat, aut amoveri potuit faciliter. Glandulae haec in parte non intumuerant.

### EPICRITICA QUAEDAM.

Ad has, quas modo enarravi, morbi historias animi advertenti, symptomata, quae gastromalaciam pleurumque comitari soleant, diagnosin morbi quidem sublevare, signa autem pathognomonica minime habenda esse certo colligere licet. Quod observatione quarta perspicue confirmatur. Illo in casu enim sectio non solum ventriculum, sed etiam pleuram atque oesophagum malacia gelatinosa correptum demonstrabat, at in morbi decursu ne ullum quidem signum pathognomonicum sic dictum nec diarrhoea, nec vomitus, nec macies, nec sitis insatiabilis aliaque apparebant. Ex altera parte interdum omnia symptomata illa adsunt, sed post mortem ne vestigium quidem malaciae invenitur. Quod ut confirmemus exemplum afferre mihi proposui.

A. N., unius anni puerulus, hucusque optima usus valetudine, quum cibis gravissimis per hebdomades quinque nutritus esset, diarrhoeae mox creberrimae, quas atrophia excepit, exstiterunt, duodecim, quatuordecim

anguinolentae mucosae cum maximo tenesmo; abdomen expansum, fervidum, pressu non sensibile, lingua obte-  
ta, sitis insatiabilis, cutis arida fervidaque, pulsus fre-  
quentissimus, anxietas, inquietudo, collapsus, clamores  
agitusque miserabiles. Quum mox vomitus incideret,  
pulvis aeropherus cum opio, tum acid. mur. conc. cum  
opio ordinabatur. Sed frustra. Per hebdomadem vomi-  
tus et diarrhoeae eadem, febris, collapsus major, facies  
hippocratica; cutis aridissima neque balneis neque frictio-  
nibus ad turgorem vitalem perducere potuit. Sitis semper  
insatiabilis, lingua, obtegumento dejecto, rubra erat ari-  
dissima. Tum denique subito et vomitus et diarrhoeae  
evanuerunt, quotidie duae tantum sedes mucosae con-  
secutae sunt; lingua autem novo integumento obtecta,  
deglutitio gravata. Tussis quoque sicca exstitit,  
respiratio quidem regularis; collapsus crevit, extremita-  
tes frigidae, pulsus debilis, frequentissimus; stridores.  
Diebus tribus ante mortem illud cavitationis oris obtegu-  
mentum solutum quidem est, quo facto deglutitio faci-  
lior fiebat, sed omnia reliqua symptomata pessima aucta  
sunt, interdum convulsionες exstiterunt; mors.

Sectio horis VII post obitum instituta. Cadaver ma-  
gnificum. Fonticulus major adhuc patebat; dura mater  
alvariae ossibus adnata, sinus sanguine repleti, et pia

mater et arachnoidea paullulum turpida; cerebri substantia a norma non abhorruit, in ventriculis lateralibus seri puri nonnullae drachmae repertae sunt. — Glandulae thymus jam valde diminuta, trachea colore rubro tincta; in utriusque pulmonis lobulis inferioribus hepatisatio rubra. Cor vasaque magna sania. Hepar, lien, pancreas. renes, vesica urinaria non alienata. Ventriculus liquorem odoris acidissimi continens, neque in fundo neque in parte pylorica destructionem quandam ostendit, omnes tunicae solidae erant validaeque. Oesophagus sanus sine obtegumento diphtheritico. In ilei parte inferiore sanguinis injectiones hic illic obversabantur, glandulae Peyerianae tumidae. Ad valvulam Bauhini autem tunicae mucosae exulceratio circulum quasi formans comparuit. Totius intestini crassi tunica mucosa colore rubro tincta, omnibus in partibus laxata per scalpellum facillime amoveri potuit. Folliculi praeterea nonnulli intestini crassi exulcerati erant usque ad rectum. Glandulae mesenteriales sanguine injectae, tumefactae.

Quae quum ita sint, nullam, de mea quidem sententia, gastromalaciam, nisi sectione confirmatam, cognoscere contendo.

Quod attinet morbi aetiologiam, infantes debiles cibis concoctu difficilibus nutritos plerumque gastroma-

acia affici, sed robustos quoque validosque et cautissime nutritos malacia corripit, observationibus comprobatur. Hoc loco etiam de usu emeticorum apud infantes per pauca mihi dicere liceat. Tartarum stibiatum permultis morbis inflammatoriis infantum remedium esse excellentissimum inter omnes constat; sed majore cum prae cautione, quam fieri solet, adhiberi necesse est: interdum nim vis ejus effectusque nullo modo temperari potest, ita ut altero morbo sublato, alter morbus medicamine abuso efficiatur, qui exitum habet miserrimum. Etenim licet apud infantem, cujus morbi historiam in observatione secunda retuli, gastromalaciam tartari stibiati rano uno non effectam esse mihi sit persuasum, tamen emetico mortem, intestinis jam irritatis, verisimiliter acceleratam esse confiteor.

Ad prognosin et ad therapiam morbi una res, a nullo auctore excepto Schoenlein commemorata, haud levis mihi videtur. Interdum scilicet gastromalaxis intermissiones facit, quo facto subito omnia symptomata vi majore redeunt in certissimam aegroti perniciem. (Confer. observat. prim.)

Gastromalaciam plerumque tempore aestivo existere subitari non potest (nam haud raro illo tempore tam multi morbi casus observantur, ut epidemiae fere adaequent);

morbum autem interdum tempore hiemali obvium esse observationes probant. Remedia omnia, quae hucusque sunt commendata adversus gastromalaxin, laudibus minime respondent. Quae sunt allata exempla, ubi morbus ad exitum bonum sit ductus, nullo testimonio possunt confirmari morbum revera gastromalaciam fuisse. Ubi est gastromalaxis vera, neque methodus antiphlogistica (Cammerer, Zeller), nec ferrum muriaticum (Pommer), nec opium (Cruveilhier), nec plumbum aceticum, nec chlorum ullum habent eventum secundum. Quae remedia pro tempore brevi quidem utilitatem afferre videntur, ea sunt: tinct. rhei aquos. cum kal. carbonic., jam Jaegero valde laudante, nec non acid. muriat.; aq. oxymuriatica. Adstringentibus commendatis, praecipue radice colomb., simarubae aliisque morbum utique in deterius mutari observavi. Argentum nitricum interne et per clyisma inductum (Hirrt), bolum armenicum cum mucilag. gummi mimos. et opio (Segnitz), acidum pyrolignosum (Pittschaff, Teuffel) porrigendi nunquam occasio mihi fuit.

Quod ad morbi naturam spectat, gastromalaciam non esse inflammationis exitum sectionibus comprobari mihi videtur; sed ne multa, quae sunt afferenda de natura gastromalaciae, in Rokitsansky anatomia pathologica uberime exposita inveniuntur.






Theophilus Henricus Leopoldus Piwko, fidei  
angelicae addictus, die VII m. Maji a. MDCCCXVIII  
ariae-insulae Borussorum natus sum patre Henrico,  
matre Joanna e gente Beckmann, quam ex duobus  
viris mortuam lugeo semperque lugebo. Quum primis  
literarum elementis imbutus essem, gymnasium urbis per  
nos XI frequentavi, quo facto cum testimonio maturita-  
tis dimissus, tempore autumnali anni MDCCCXXXVIII  
Berolinum petii, ubi a rectore magnifico Ill. Mueller  
inter cives academicos receptus, nomen dedi apud Ill.  
Schultz, medicorum ordinis tum decanum spectatissi-  
mum. Annis duobus et dimidio interjectis Halam Saxo-  
nicam me contuli, ubi per semestria tria scholas medicas  
audivi. Per quadriennium me docuerunt:

Ill. Hecker encyclopaediam medicam; Ill. Schultze historiam naturalem medicam; Ill. Mitscherlich chemiam experimentalem; Ill. Kunth botanica; Ill. Gabler logica; Cel. Isensee anthropologiae et psychologiae elementa; Ill. Schlemm osteologiam et syndesmologiam; Ill. Mueller anatomiam generalem et specialem, anatomiam comparativam, physiologiam; Ill. Schlemm et Ill. Mueller artem cadaverum rite dissecandorum; Exp. Mitscherlich materiam medicam; Ill. Osann jam beatus fontes salubres Germaniae; Ill. Henle pathologiam generalem; Ill. Schoenlein pathologiam specialem; Ill. Horn pathologiam et therapiam morborum mentis; Cell. Romberg diagnosticen morborum pectoris; Exp. Kraemer pathologiam specialem; Ill. Blasius chirurgiam et generalem et specialem, fracturas et luxationes, operationes ophthalmicas; Ill. Hohl artem obstetriciam; Exp. Litzmann operationes obstetricias.

Scholas clinicas frequentavi medicas per semestre unum Ill. Schoenlein, per idem temporis spatium Ill. Barez; per annum et dimidium Ill. Krukenberg; ophthalmicas atque chirurgicas per annum et dimidium Ill. Blasius; obstetricias per semestre unum Ill. Hohl.

Omnibus his viris, summopere de me meritis, gratias  
ago quam maximas, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico su-  
eratis, nec non examine rigoroso rite absoluto, spero  
re, ut disputationis publicae veniam, summosque in me-  
dicina atque chirurgia honores capessendos gratiosa facul-  
tas medica mihi concedat.




## **T H E S E S.**

---

1. Morbus Brightii non est morbus, sed morbi symptomaa
2. Signa physicalia non sufficiunt ad pneumoniam co-  
gnoscendam.
3. Quas species Willan inter porriginis numerat, non  
omnes ad porriginis pertinent, ne ad pustulas quidem
4. Prurigo non est morbus cutaneus.
5. Borussorum jus civile injuste agit adversus mentes  
captos.





NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS

LOST ON

SEVERAL PAGES)

